



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

De probatione ab autoritate traditionum Apostolorum. Cap. XXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

coinquinatum; ciuitas enim illa, sancta est. His sacra scriptura testimonijs siue oraculis, è multis sumptis, testimonium Saluatoris nostri adiungens, qui dixit: Qui autem dixerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc seculo, neque in futuro. Purgatorium esse affirmabit; animas in eo non posse quidquam vel benè, vel malè mereri: esse de sua salute securas; illis succurrendum, precibus, ieiunijs, eleemosinis, Missarum sacrificijs; quam si filij præstiterint parentibus mortuis, misericordiam eandem illis, cum è vita decesserint, filios suos præstuturos. Et quoniam finitimus est oratori Ecclesiastico sacrarum literarum interpres; & interdum in prima concionis parte orator interpretis munere fungitur; de arte siue ratione explicandi sacras literas, in tercio libro, cum de dispositione agemus, tractabimus. quod eo minùs est alienum, quia usu & consuetudine receptum est; vt Euāgelia proponantur, veluti themata, quibus populus ad præcepta Dei obseruanda, & ad rectè instituendam vitam eruditur. Testimonijs Davidis diuini vatis ac viri secundum cor Dei, vtetur sæpè; quæ plurimum valent, non solum ad confirmandum aliquid, sed etiam ad illustrandam orationem, cum eius psalmi pulcherrimis metaphoris & similitudinibus abundant.

De probatione ab authoritate traditionum Apostolorum.

Cap. XXXXIII.

SECVNDVM inartificiosarum probationum locū
Sobtinēt Christi & Apostolorū traditiones: vt sanctissimi ritus & ceremonia, qua in sanctissimis sacramentis
adhi-

adhibentur; multaq; præclaræ consuetudines & sententia, consensu sanctæ Ecclesiæ & longo vsu cõfirmata: quæ quoniã scriptæ non sunt, sed de aure, vt aiunt, in aurem, ab Apostolicis temporibus ad nos vsque peruenerunt: viuæ vocis oracula rectissimè dici possunt. Commemoret illa verba Ioannis Apostoli: Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros; et verba Pauli Apostoli: Fratres, stete, et tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram. Poterit etiã ostendere multa esse ad Christianã religionem pertinentia, quæ literis canonicis consignata non reperiuntur: vt perpetua matris Dei virginitas; baptismus paruulorum: & multa alia; quæ tamen ita credenda proponit Ecclesiæ, vt qui aliter sentiret, in heresim laberetur. Quarè doceat, legislatorem & magistrum nostrum Christum, nõ solum docuisse, sed etiã in vniuersum præcepisse, vt Ecclesiasticæ traditiones seruariantur, cū dixit discipulis suis: Sicut misit me pater, & ego mitto vos: qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. Tribus verò potissimùm de causis multa sine scripto tradita esse, facile ostendet: primùm, nè apud ethnicos sacra nostra irriderentur, aut vulgò etiam in contemptum fidelium venirent: deindè quoniam viuæ vox, nescio quid latentis energiam habet, & in discipuli aures de authoris ore trãsfusa, fortiùs sonat; quarè S. Hieronymus ad Paulinũ ait: Indignũ erat, vt tota Euãgely doctrina, quæ lex, & spiritus, & vitæ est, mortuis quoq; literis cõmitteretur, nec vlla ex parte committeretur cordibus, tertid, vt veri Dei filij, ab adulterinis & seruis dignoscerentur. seruorũ enim

enim est & rudium, ex prescripto solum agere. Hinc Hieremias propheta; Dabo, inquit, legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & sanctus Paulus ad Corinthios; Epistola estis Christi, ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed spiritu Dei, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quare Saluator noster nihil eorum, quae fecit & docuit, scripsit; nec, quod legamus, scribendum quidquam praecepit; immò cum misit Apostolos ad praedicandum Euangelium, non dixit eis, Scribite: sed, Euntes predicatè Euangelium. quibus verbis Apostoli longo temporis spatio viua tantummodò voce Euangelium praedicauerunt; postea etiam literis consignauerunt. Quanta demùm fides traditionibus sit adhibenda, cum ex ijs, quae haecenus dicta sunt, perspicitur potest, tum ex Cypriani verbis, qui ea de re scripsit in hunc modum: Vt par est Spiritui sancto & Christo auctoritas, ita in suis institutis aequa est auctoritas et potestas: nec minus est, quod, dictante Spiritu sancto, Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit.

De probatione ab auctoritate Ecclesiae.

Cap. XXXXIII.

DE ECCLESIAE auctoritate pluribus verbis & saepe dicet Ecclesiasticus orator, tum ut comparet auctoritatè eius ministris Episcopis & sacerdotibus, quae maximè est necessaria; tum etiam magis ad consolandos peccatores, qui salua nauì, quamuis maximis fluctibus agitata, adhuc non perièrunt. Quare doceat Ecclesiam esse populum fidelem, per vniuersum orbem dispersum,
eam